# DE LAVDIBVS COSMI MEDICIS ILLVSTRISSIMI FLORENTIAE SENARVMQVE DVCIS.

Oratio Iacobi Grifoli Lucinianenfis.





FLORENTIAE
Apud filios Laurentii Torrentini, & Sociorum.
M D L X V.

# COSMO MEDICI FLORENTIAE, SENARVMQVE DVCI.

*Iacobus Griſolus Lucianenſis. S.*

SI, vt quiſque affectus eſt animo, ſic illum declarandi facultatem haberet, non dubitu, quin boni Principes non nunquam amoris erga ſe, fideiq; tenuiorum virorum ſigna non obſcuriora cernerent, quam illorum, quibus & maiorum splẽdor, & ampliſsimæ fortunæ dant ſœpe locum virtutis, animique ſui claris indiciis oſtentandi. At quorum præclara munera naturæ in obſcuritate fortunæ latent, his per rarò accidit, vt in aliquam lucem euocentur. Cuius generis, Dux illuſtriſsime, quàm plurimi viri iacent in ditione tua, quorum virtus, & magnitudo animi, ſi detur occaſio erigendi ſe, admiranda tibi videri poſsit. Eſt & alterum quidem genus, quod otio fruitur honeſto, & tutam animi quietem vehementer amat, quorum quidem permultos iam video ſtudiorum ſuorum fructibus ſenſum animi in te ſui declaraſſe. Sed alii quoque ſunt, qui aliqua geſtiant ſignificatione, quam te diligant, quam obſeruent, quam te denique admirentur oſtendere. Inter quos ego ingenio, & facultate cedens multis,

amore tamen,& obſeruantia tui nemini ſecundus tenere me nō potui,quo minus teſtarer,quo nam de virtute tua iudicio te ſummopere venerer, & colam,quanquam ego profiteor me pro facultate mea,non pro rerum dignitate id egiſſe. Quare te velim,vt pro humanitate tua non quæ,aut quomodo, ſed quo animo à me tractata ſint, conſideres. Sic enim facile intelliges,quam officioſe te obſeruem,qui quidem finis eſt omnium votorum meorum,nihil enim optatius mihi poteſt euenire,quā vt cognoſcam me ab Excellentia tua fideliſsimum,amantiſsimumq; ſui numerari, quod vt facias etiam, atque etiam rogo. V.

# DE LAVDIBVS COSMI MEDICIS ILLVSTRISSIMI FLORENTIAE SENARVMQVE DVCIS.

## Oratio Iacobi Grifoli Lucianensis.

CVM *magna quadam sit, et ea naturalis societatis hominum inter ipsos appetitio, cumque natura multarum rerum indigentes nos crearit, quas quidem sine aliorũ opera consequi nemo possit, necessariũ omnino fuit societates hominum cõmunicatione plurimarum vtilitatum constituere, quo factum est, vt vniuersum terrarum orbem ciuitatibus completum esse videamus. Quamquã nisi leges improbis frena iniecissent, parum id ad exercendas hominum industrias valuisset. Sed harum etiam auctoritate neglecta multas quotidie videmus ciuitates intestinis malis, & seditionibus euerti. Nam seditionis ea tandem est natura, vt multis cognitum est exemplis, vt non minus victoribus, quã victis exitiosa sit. Quo circa nihil magis consilio prouidendum est, nihil omni studio magis curandum, quã ne quid oriatur in ciuitate, quo multitudinis temeritas ad iura tam diuina, quã humana peruertenda cõcitetur. Cui quidem malo nihil est, quod æque possit obsistere, quã bonæ leges; si modo plus auctoritas illarum, quã malorum ciuium valeat audacia. Videndum est igitur, cum tria sint genera Rerumpublicarum, quod nam magis*

*ad leges tuendas sit appositum. Equidem ad eorum senten tiam libenter accedo, qui boni Regis imperium optimatibus, & potestati, quæ dicitur ex censu, anteponendum esse monent. Ubi enim eadem potestas in multa capita distributa sit, ibi per difficile mihi videtur plures cives, qui æquo iure delectentur, reperiri. nam alios avaritia, alios ambitio, alios superbia, alios aliud vitium exagitat. Unde fit, vt rara sit illa Resp. in qua non sint animi ciuium cupiditate præsertim sic incensi, vt non modo suis facultatibus eam iuuare nolint, sed summo studio curent, vt quicquid possint ex publicis cōmodis in rem suam conuertant. Rursus illud quoque frequenter accidit, vt complures ciuitatis formam suis rationibus accōmodatam cupiant, & ad suam quisque libidinem torquere studeant. Quæ nam igitur esse potest ea ratio libertatis, vbi nullus ferè sit, qui actiones suas, omnia cōsilia non conetur ad priuatas opes, quibus Remp. obsideat, referre? quod tandem qui per se consequi desperet, factionibus id conatur obtinere. Cum igitur aliud alius sentit, & suo quisque fauet ingenio, in varias omnino partes rem distrahi necesse est. Ex quo conficitur eam Rempub. faciles conuersiones habere, cuius administratio non ad regulam iustitiæ, sed ad libidinem cuiusq; dirigatur. Illud etiam accidit incōmodi, vt raro quisquā sciat Remp. recte gerere, nā si quis cōmunium rerum tractatione aliquā sibi experientiam, prudentiámue consequi posset, tum cogitur imperito, & rudi tradere prouinciam. nec huic porro spatii tantum dabitur, vt exercitatione ad gubernandum fiat idoneus. Quis enim ausit negare neminem omnino in vllo studio excellere, qui modo hoc, modo illud exerceat? nec in vno ver-*

ſetur aſsidue? At quid eſt tam arduum, quã Regni admi niſtrandi ratio? non mirum eſt igitur, ſi pauci illud tueri poſſunt. Quare Cæſar Auguſtus cum audiſſet Alexandrum magnum cum iam maximam terrarum partem ſubegiſſet, anxia mente cæpiſſe ſecum cogitare, vbi cætera ſuperaſſet, in quo ſtudio reliquũ, ſuæ vitæ tempus conſumpturus eſſet, mirari ſe dixit, eum non cogitaſſe potius, quanto in adminiſtrando tanto regno quã in accipiendo plus negotij eſſet habiturus. nec iniuria, nam, & Perſa Macedonũ Rex vno die priuatus ſceptro tam antiquo, tam amplo in Pauli AEmilii triumpho ductus fuit. Quid Siphax Numida? quid infiniti alii Reges? nõne de ſummo atq; ſublimi ſolio in terram lapſi exemplum omnibus dedere, non cuiuis ſceptrum, inſigniaq; regia conuenire? Quãobrem ſi rem rectè reputemus, præclare cum illis agi ſtatuendum eſt, qui ſoluti tãtis curis, nec ſatis aptis ſuis humeris arcte, grauiterq; dormire poſſunt, ac ſimul in vigilia, & prudentia Regũ con quieſcere. Eſſet operæ precium, quæ maximi viri de illorũ educatione ſcripſerunt, legere, qui ad Imperium gerendum nutriuntur. primum quidem vt in cibo, & potu, ac venere ſint imprimis temperantes. Quibus quidem rebus indulgen tes omnia perturbate, atq; confuſe agere coguntur. Labori bus præterea, & vigilia ſic exerceãtur, vt nec rerum difficultas eos deterreat, nec à neceſſariis negotiis ſomnus abducat. Quid de illis ſtudiis dicendum eſt, quæ ad hoſtium conſilia præuertienda, & ad omnia prouidenda, quæ cum ſuis rebus expediant, tum ad victoriam ſint accõmodata? legite pædiam Cyri, & quæ ad hanc inſtitutionem pertinentia ſcripta ſunt à viris doctis. non enim vnus aliquis de ple

*be vir est ad tantum munus adhibendus, sed qui virtute iis præstet omnibus, quibus est præfuturus, Hæc autem senten tia sua quidem spontè grauis est, cum vero à Cyro maximo Rege profecta sit auctoritate quoq; plurimum valere debet, at cum vix vnus in maximo populo dignus Imperio reperi- ri queat, quis nam multos offerri audeat sperare ? rara est omnino virtus, siue naturæ beneficio infusa, siue longo vsu, et magno studio comparata. Quamobrem cum publica pote- stas non imperitis modò, sed etiam improbis necessariò man detur, non video quonam pacto quietè possit resp. admini- strari. Illud quoq; maximum nascitur incõmodum, quòd à pluribus non facile quisquã potest vel maximis suis meri- tis eam gratiam inire, vt ex rep. præclare gesta fructum ali quẽ sibi tulisse videatur. Nam vitiosi magistratus, qua ipsi careant virtute, eandẽ in al is odei ũt. Ex quo fit, vt nõ faci le cuiusquã virtus suã lucẽ in tali ciuitate queat obtinere.*

*At qui vtinam nõ iniurias illas pateretur, quæ sceleratis potius debentur. Etenim quo nam iure Athenienses Ari- stidem, quem omnes iustum, & factis & nomine fateban- tur, tamen in exilium coniecerunt? quo crimine Phocionem damnauerunt ? quid verò Ciuitas Romana ? quàm multa nobis sui furoris suggerit exempla ? non ne Camillum ? quẽ virum Dij boni ? non nè Metellum ? non nè Rutilium? non nè M. Tul. exilii affecit iniuria ? at quos nam viros bonos esse statuemus, si quis hos esse optimos negabit? vnde igitur hæc tanta deformitas ? ex ambitione, & ex auaritia, quæ duo in ciuitatibus hisce dominãtur, cùm præsertim Resp. soleant ex affectibus ciuium formam accipere. Quid opti- matum status? quam facile in paucorum dominatum verti tur?*

turꝫ atq; id nullius rei, nisi principum ipsorum culpa qui nullorum habita ratione dignitatis omnia in se commoda Ciuitatis conferunt. Unde non optimates, sed pauci vitiosis simi viri ad libidinem suam omnia gubernant. At dicet aliquis, nullus status bonus debet in suo genere contemni. Rectè quidem ille, sed is ni mirũ status facilius erit bonus, cui facilius cõtingent illi viri quibus rectè gubernetur. At qui iam constitutum est illam Remp. quæ pluribus est com mittenda, nunquàm esse idoneos omnes ministros habiturã. Nec optimates quidem omnes ea posse virtute præditos esse, quam illorum auctoritas requirit. hic vero non dubito quin multi meis rationibus reclament, & exẽplo Venetæ Reyp. quæ mater est sãctissimæ quietis, in maximo errore me ver sari conentur ostendere. Ego verò non sum tam ignarus re-rum, quin intelligam illam Remp: omnes perfectionis nume ros habere. Quanquám enim Optimates sunt qui eam ge-runt, & tantus est illorum numerus, vt ad Reyp: speciem quàm ad optimatum potestatem potius accedat, tamen in-ter eos omnes tanta est consensio, sic omnes omnium charita tes, illa Patria complexa est, vt inter omnes vnum sit certa men, atq; id maximum, quis eorum sui officiis optime omniũ de illa mereatur. Itaq; nullus vllam Remp. sibi phylosophus potuit effingere, in qua par consensus, aut par constantia fu tura esset. Verum quia nec antea, par exemplum vnquàm fuit nec nostra tempora, nec posteritas vlla visura est, non errasse puto antiquissimos, sapientissimosq; viros, qui viden-tur statuisse in imperio vnius commodius ciuitates, & popu los quiescere. Docet id nos Cyrus Xenophontis, docet Isocra tis Nicocles, docet iudicium Persarum, qui Magis sublatis

*regium Imperium omnibus præposuere. verùm etiam poetarum accedit auctoritas, præsertim Homeri dicentis.* εἷς, κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω σκῆπτρόν τ', ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βασιλεύῃ. *Quid? non nè sententiæ nostræ suffragantur Lacedemones? qui amantes imperium optimatum, Regi tamen bellum gerenti plenam auctoritatem semper tradere solebant. Romani verò tam acres libertatis defensores non nè in maximis periculis omnes Magistratus, vnius dictatoris imperio subiicere consueuerunt? at imperatoribus sæpe teterrimis vexata est illa Ciuitas. Quidni si à teterrimis eligebantur? At vis naturæ plurimum valere debet, cuius impulsu á principio Regibus populi parebant, qui quidèm quò propius aberant ab ortu, eo naturam magis intuebantur. verum hæc etiam in minimis se se magis ostendit: apes enim quanta religione colunt suum regem? num præter vnum ferre possunt? nō nè, si quis alius nascatur, confestim enecant? Accedit etiam noster quotidianus vsus, & res familiaris, quæ duos ministros ferre non potest. At quid opus est multis? num tanta mundi machina, num cœlorum, & planetarum motus, num clemēta, aut ex elementis quæ gignuntur omnia plures vno ministros habent? vnus enim pater est omnipotens, & pater omnium, à quò est omnis potestas, qui vnū quoq; voluit esse fontem luminis, à quo reliqui planetarum orbes, & sidera, & cætera omnia lumen acciperent, nec aliter orbes cælestes, & quæ sunt abbis complexa suum ordinem retinerent, & omnia deniq; corruerent, nisi vnius tantum dei sapientia regerentur. Et quisquam mihi dubitet an nobiscum bene sit actum, qui turbulētissimis, perpetuisq; tempestatibus iacta*

*ti eum principem nacti ſimus, qui de cælo penè miſſus ex me diis fluctibus intranquilliſsimo portu nos omnes collocauit? Ex quo facile datur intelligi quantum illorum patrum ſapientiæ debeamus, qui in eo adoleſcente egregiam illam indolem cognouerunt, quæ ſummam ſpem conſilii, & grauitatis afferebat, atq; illum ſponte ſua, et voluntate publica rei florentinæ præfecerũt. Qui tantò de ſe cognito iudicio nihil ſtatuit magis ad optimam ſui nominis commendationem intereſſe, quam ſi maiorum ſuorum ſe diſcipulum profiteretur, quorum actiones, et res præclare geſtæ* Remp. *potuerũt efficere meliorem. Nulla enim ſchola philoſophornm ad virtutem animum cuiusquam ſic poteſt accendere, vt ſe maiorum ſuorum eximia ſibi ad imitãdum exempla proponere. Huc igitur* COSMVS *adoleſcens totum ſe contulit, et in ſuorum virtutibus oculos defixit. Hinc mihi neceſſarium eſſe non duco de gente* MED. *aut viuentium, aut poſterorum cauſa plura dicere. Nam & præsenti memoriæ, & futuris omnibus hiſtoriæ ſuppeditabunt ea, quæ poſsint ad gloriam virtutis magnos animos excitare. Si quidem complures eiusdem generis fuerunt, quorum ſinguli maxima volumina deſiderant. At quæ nàm tanta vis verborum, quod genus orationis par immenſis laudibus.* IOA. MED. COSMI *patris poteſt inueniri? verum fama, quæ per omnes gentes vagatur, liberat nos hoc labore. Ea enim ſola rebus illius par eſſe poteſt. Quare nobis ſatis eſt dixiſſe genus vtriusq; parentis Illuſtrius eſſe vix poſſe, Non enim tàm opibus quæ maximæ fuerunt, quam conſilio opinionem omniũ ſuperarunt. verum animi magnitudo Coſmi dedecori ſibi maiorum ſuorum laudes eſſe duceret, niſi ſuo ſplendore illis*

*se parem declararet. nemo enim maiorum gloriæ particeps esse debet, nisi suas ad illas tales adiungat, vt etiam sine suorum lumine per se clarus esse possit. Quid ergo desiderari potest in nostro felicissimo principe, quod ad summam gloriam pertineat? iam nihil dico, quod ad tantum principatũ à summo suorum ciuium consilio sit electus. Quãquam si et qua ætate, & quo omnium consensu tantis honoribus ornatus sit, cogitemus, nihil ferè maius, nihil honorificentius euenire illi potuisse statuemus: Verum hæc in rè detur per me aliquid fortunæ. quòd autem omnibus in rebus expectationem omnium superarit, hoc totum propriæ ipsius virtuti tribuendum est. Quod autem homo adolescens onus tanti imperii non recusarit, honesta causa fuit: turpe enim sibi putauit esse minori se præditum virtute iudicare, quam tota ciuitas existimasset verum summæ laudi dandũ est illi, quod eius prudentia maximam cuntis admirationem adfert. Nam quid illi deesse potest, qui excellenti quadam animi virtute habituq́ naturæ tantum valet, vt etiam si in studijs doctrinarum diù versari per occupationes non potuit nullum tamen est officium boni ducis, quod non exequatur? Accedente verò sapientissimorum hominum consilio quà nam in re potest errare? non igitur aspernatur eorũ auctoritatem, quibus eruditius negocia publica tractare possit. Nouit enim & Epaminundam à sapientibus instructum ad Remp. accessisse, atq́ idem Syracusanum Dionem, & Scipionem Africanum fecisse. quales homines dij boni? quanta per se habuerunt adiumenta naturæ? nec tamen sibi tantum confidebant, vt aliorum sapientia perfici noluerint: à quorũ instituto sapientissimus noster princeps nihil*

*aberrat: quamuis enim cuius lumen ingenii sponte sua plurimum videat, delectatur tamen aliorum sapientia. Non igitur, vt in veteri prouerbio est, εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ. de eo dici potest: multos enim habet oculos, auresq; multas, omnia videt, audit omnia, & nihil vnquam nisi considerate, & accurate facit. Itaque non solum ciuitatem, et omnes fines imperii sui, ex maximis periculis eripuit, sed etiam regione multo latiore terminauit. Neq; miretur quisquam si quæ prudenter facta sunt à nostro Principe suis quodq; locis nō commemoro nihil est enim quod à ceteris eius rationibus seiunctum velim explicare. Nam totus illius vitæ, perpetusq; cursus persequendus esset cum nè puntum quidem temporis ab illius prudentia vacuum nobis occurrat. Nō igitur contexam historiam illarum rerum, quæ nō possint nisi longissimo tempore expediri. Utinam verò comites, sororesq; prudentiæ persequi mihi liceat. Nam prudentia semper reliquas virtutes secum trahit non igitur verendum est, ne in principe tam prudenti iustitia non resplendeat. Sed tanta est eius integritas, tantaq; inocentia, vt nihil illi sit antiquius quam suorum populorum commoda curarè. Uerum hic in suspitionē venio, ne tacitè multorum mētes hanc orationem conentur refutare, nam officia magnorum virorum perindè videntur esse, vt accipiuntur. Utrum hi recte facerent, si animaduerterent quantum in amplissimam illam ciuitatem Cosmus beneficium contulerit. Nam cum fides populi Florentini Carolo Quinto Imperatori maximo ita suspecta esset, vt statueret illum àb ea voluntate, quam hostibus Maiestatis suæ perpetuam præstitisset, deduci nulla ratione posse, omnes arces, & munitiora loca suis presidiis*

*firmata custodiebat. Itaq; cum omne nomen Florentinum adijcere suo posset imperio, tamen prò æquitate sua, cum Cosmus à senatu Florentino caput Reip. creatus esse, maluit Florẽtinum hominem, quem ciuitas sibi delegisset, honore & opibus firmare, quàm suo nomine externum aliquem illi ciuitati præficere. Quamobrèm & Ducem Cosmum appellauit, & omnibus honoribus, quos anteà gener Alexander habuerat, affecit. Quid ergo statuemus? & nomen dignitatis, & insignes honores negligere Cosmum debuisse? Mitto nunc quòd regnum inter humana, atque diuina maximum quoddam & splendidißimum sit ornamentum, atq; ita omni contentione dignum, vt cæteris in rebus pietatem colendam esse magni viri censuerint, in ratione vero Imperii, quasi ius ipsum sine scelere posse violari. Verum Cosmi fides, & pietas ab hac cupiditate longe fuit aliena, & eo loco pro sua modestia contentus fuisset, si per Carolum Quintum ei licuisset, ac sibi tutum id esse iudicasset. Quo circa necesse fuit, & auctoritatem maiorem, & dignitatem splendidiorem sibi traditam accipere, ne si secus egisset,* CARO. *illam Remp. cum sociis omnibus in prouinciæ formam redegißet. præclare igitur actum esse cum illo populo confitendum est, præsertim si per æquitatem nostrorũ animorũ liceat illi æquitatem sui demostrare. namq; rex ille mihi videtur optimus, credo etiam bonis omnibus; cui cum pareãt populi, ipse spontè sua paret legibus, nec quodquã apud eum est maius, quã lex, non tam scripta, aut in æs incisa, quam in animo impressa recta ratio, à qua nunquam deseratur. At in quo sanctior est ea lex, in quo magis dominatur, quam in nostro principe? non enim hic vt plerũq; solent*

*Reges, eas leges statuit, quæ vtilitates tantum, & amplificationes suas spectant, sed eas omnes leges, quas senatus ipse Populusq; florentinus sibi tulerat, ea religione conseruauit, vt ne literam quidem ex illis immutauerit: suas vero leges non tam verbis, quam moribus exprimit quotidie, vt rectissima sit priuatis regula, ad cuius exemplum rationem vitæ suæ omnes poßint instituere. Nam quod antiqui finxerunt iustitiæ simulacrũ apud Iouem esse collocatum, nec vnquã ab eo separari, intelligi voluerunt principes viros, qui Iouis sunt simulacra oportere nihil vnquam agere, quod abhorreat à iustitia. At quis hanc deam aretius amplectitur? quis coniuntius, quam Cosmus Princeps optimus cum ea viuit? illius autem seueritas acerbior cuiq; videri non debet, non enim is aliis acerbus dici potest qui sibi non plus quam alii licere putet. Quarè si quis alicuius sceleris, vel suspicione potest nostrum principem arguere, quod is in aliis non tulerit, acerbitatis eius causa conuincatur. At si nec ipse, nec vllus suorum, plus sibi concedi quam alienis postulat, cur iustæ animaduersiones odiosæ cuiq; debent videri? Equidem vehementer miror, nisi cæteri, cum religionem prætoriæ domus intueantur, aut à turpitudine prohibeãtur pudore, aut in delicto deprehensi iustè se plecti fateãtur. Iam verò quid in principe magis requirendum est, quã vt in iudiciis ita se constantem præbeat vt ne leges quidem ipsæ constantiores, nec minus ad gratiam scripte uideantur? Laudatur ab antiquis institutum Licurgi, qui nõ magis legibus, quam exemplo populum regebat. Ego verò nescio quid hac in re laudis Licurgo dari poßit, quod quisq; Cosmo poßit adimere, cuius quidem integritatem vel inimi*

ci omnes admirantur. Quid mirum? cum iam dudum effecerit, vt totum ipsius regnum, atq; ditio longè sit continentior? cumq; à conuiciis, et contumeliis deorum ad pietatem, & cultũ mentes omnium deduxerit? Iam verò vbi sanctiore fide negotia cõtrahuntur? vbi rerum creditarum certior solutio? vbi rectius, ac citius lites deciduntur? Quæ causa ex tam perplexa controuersia constat, quæ breui iudicio perspicuòq; non explicetur? nùm gratiæ causa quicq; statuitur? Nusquàm est quidem certè tanta iuris æquabilitas. Nusquàm suum quisq; ius magis obtinet. Quis ergò necessitatem non excuset, quæ iustitiæ, ministris natura est imposita? itaq; cogũtur ea sæpe facere, à quibus animus abhorret. Nihil sanè potest acerbius illi contingere, qui miti sit natura, quàm acrem se cogi, & asperum præbere. Danda est igitur illi venia, et quasi misericordia illius fortunæ tribuenda. At legant obsecro patrum suorum historias si qui sunt, qui hæc hodie non probent, vt tandèm intelligant præstare ciuitati suæ, vnius imperio seruire, quàm in libertatis insidiosæ pericula redire. qua nàm hominum memoria ea ciuitas ingenijs, opibus, diuitiis, virtutibus, & omnibus fortunis æque floruit àc Medicea Familia clauum tenente? non ne aliis temporibus furore seditionum ita est cõcussa, vt nihil calamitosius Florentino populo esse posset? quò circa magnũ fortunæ beneficium mihi videtur esse, si eiusmodi ciuitas, quæ libertatis fructus tàm acerbos, atq; amaros percepit, optimum nacta principem in officio contineatur. Malus est enim ille Pastor, cuius pecori liceat, quocunq; libeat, vagari. Equidem semper existimaui non minus ad quietem priuatorum obediendi scientiam, quam principis ipsius gubernandi

*bernandi sapientiam pertinere. Verum quid aliud est tandem Regum administraiio, quam seruitus quadã in splendore dignitatis constituta? Unus enim totius imperii curis angitur, atq; huiusmodi est eius conditio, vt sua salus communi omnium salute nitatur: Quid igitur optandũ est Principi, nisi vt veneratione potius colatur, quàm timore? id quod facilè contingit, vbi priuati ciues sibi sciant imperare. Sic etiam & ipsi quietiorem vitam agunt, & principe vtuntur mitiore. Quippe qui ne quem fortè lædat iniuria, quam nè lædatur ipse magis veretur. Beata est inquam illa ciuitas, quæ potius amore cum suo principe, quam odio certet. Tunc enim fit vt populi nullis exactionibus offendantur, existimat enim Princeps totius opes imperii ad tuendam dignitatem suam, si res postulet, paratas esse. Ubi verò sint omnia suspecta nemò est ita dissolutus, vt quoquo modò possit, suis rationibus nõ consulat. cumq; nemo ferè princeps vllius imperii possit appellari, qui se ipso contentus non sit, nec suis se copiis sustetare queat, faciundum nostro fuit, ne ad se posset cuiusquam iniuria peruenire. Salutis igitur dignitatisq; suæ studio, non auaritia ductus ad consuetudinem aliorum principum, & rerum publicarum rationes iniit pecuniæ sibi comparãdæ: ac si cum aliarum ditionum exactionibus, & tributis, quæ fiunt à nostro principe, conferantur, æquiora fortasse, atq; leuiora ab illo fieri videbuntur, quam ab aliis: cum præsertim facilè prospiceret vir prudentissimus, tempus omnino forè, vt firmissimum exercitum alere cogeretur. num eum fefellit? non nè grauissimum iustissimumq; bellum, atq; necessarium suscepit? cum enim ciuitas senensis eiecto Cæsaris præsidio eius compleretur hostibus,*

*atq; inde magni terrores inii cerentur, is magnis, validis q; copiis comparatis præuerrit hostium consilia. Cum enim illi cogitarent de bello Cosmo inferendo, is nec opinantes propemodùm oppressit, & totam belli molem ad senẽsiũ mœnia contulit. Itaq; stantum absfuit, vt bellum sibi pateretur inferri, vt cogeret hostes intra moenia se continere, àc satis habere sibi videri, si possent vrbem tueri, & hostem à moenibus arcere. Prudentißimus enim Princeps noster, atq; fortissimus anmi magnitudinem Agesilai Regis laconum est imitatus. Hic enim cũ Rex persarum magnos contra Lacedemones belli taceret apparatus, non expectauit hostem, sed prior ipse in Asiam duxit exercitum atq; Regis cõsilia ita perturbauit, vt in toto illo bello superior extiterit; quam quidem rationem secutus Cosmus Dux Florentinus, non solum incendio belli se, sociosq; suos liberauit, sed, vt videmus, amplißimam ciuitatem, & latißimos eius fines inditionem redegit neq; tamen hoc ille consilio subiit onus tanti belli, sed quoniam intelligebat armis sibi quietem esse comparãdam. Non enim commoda pacis ad studia belli referre solet, sed contra bellicos omnes labores incommodaq; omnia libentius ad pacis tranquillitatem confert. Quæ quidem res illi felicius etiam, quam multorum esset opinio, succeßit. in quoquidem admiranda ipsius virtus emicuit. Cum enim excitati fuissent illi motus in Ciuitate senensi, quibus Imperatoris deturbata præsidia fuerunt; si suum potiusquam præfectorum Cæsaris cõsilium secutus fuisset, illam ciuitatem ab omni ferè cõmeatu prohibuißet, atq; intrà paucißimos dies in potestatem suam redegisset. Verum ille nefas semper esse duxit vlla in re Cæsaris animnm offendere, neq; contra il-*

lorũ voluntatem, quibus Ciuitas cõmissa fuerat, maiora mit tere præsidia voluit, quã ab illis petita essent. Is enim liben tissimo quidẽ animo abomni periculo tuta illa præsidia ser uasset, si per illorum capita ei licuisset. at omnibus ferè cla rius constat, per eos stetisse quòminus auxilio Cosmi in pote sta... Caroli Ciuitas illa retineretur, quàm vt nostro testimo nio sit approbandum. Sed ille noluit temere quicquam age re. àn verò potuerit aut retinere, aut recipere Ciuitatem il lam cum longè minus munita esset, & fame laboraret, res ipsa docuit: quandoquidem copiis hostium profligatis obsi dione tandèm eam recepit. itaq; cùm voluntati Cæsaris obse quendum sibi duxisset, nec vlli periculo, vel sumptui par cendum, ex sententia negotium confecit. Quamobrem Cæ sar intelligebat illius Ciuitatis iura, quam suis opibus Cos mus Dux noster domuisset, illi negari non oportere. Verũ cognoscens animi Philippi magnitudinem, cui regnorũ suo rum omnem administrationem tradiderat, tantum benefi cium àb eo in illum voluit conferri. Itaq; Philippi maiestas Cosmo, quod sibi quæsierat, id confirmauit imperium. Quis non miretur igitur principis nostri sapiẽtiam. qui sine vllius cupiditatis suspicione ad patrium Imperium, quod anteà ge rebat, tantam fecerit accessionem? idq; non modò libente Philippo Rege, sed etiam tradente? vt spontè sua magis ad se venientem Remp. Senensem, quam vlla vì coactam accepisse videatur: in quo, & paci consuluit, quod illud ἐπιτείχισμα contra se munitum expugnauit, & fines impe rii sui latissimè propagauit, àc turbulentias Senensium se dauit, vel potius ita receeanit illam ciuitatem atq; illi tan tam spem salutis ostendit, vt illius belli calamitas optanda

*fuisse videatur, vt in optimi viri, & clementissimi principis fidem acciperetur. Multa quidem nobis petimus, maximisq; precibus dari contendimus, quasi quid in rem sit nostram videamus. Nihil est omnino, quod ille populus peius odisset, quàm nomen Florentinum. Natura enim ita comparatum est, vt vicina imperia semper inter se hostili sint animo. Verum tanta est æquitas nostri principis, tanta humanitas, vt nos omnes non vt hostis victor, sed vt Pater clementissimus sit amplexus. Itaq; tantam calamitatum nostrarum misericordiam cepit, vt in eà cura magnopere versetur, vt nos quacunq; possit benignitate consoletur. Nàm quis Senensium tàm infestus illi fuit, quis tam infestis oculis victoriam eius spectauit, quem summa quadam comitate & incredibili humanitate non tractauerit? Quibus spes nõ affertur breui fore vt eius liberalitate damna sua resarciãtur? quam diligenter omnium commodis inseruit? sed est illa ratio præcipua, quam quidem ad cætera benignitatis munera speramus adiungi, vt studia scilicet doctrinarum per homines doctissimos in eam ciuitatem velit reuocari. Nulla sanè gens tàm remota est, ex qua studiosi iuuenes, et genere, & patria nobilissimi non eò confluant. nimirum Ciuitatis amœnitas, humanitas ciuium, cœli temperies sic omnium inuitabit animos, vt mira frequentia, & magnificentiam nostri Principis, & vniuersam fere Thusciàm sint ornaturi. atqui per multi sunt viri doctissimi Senenses; qui memoriam beneficiorum suorum non patiantur interire. Ego verò prò mea facultate, quam tenuissimã esse non ignoro conabor efficere, vt illa voluntas, quam patriæ meæ optimam prestitit, non actione modò gratiarum, sed etiam præ*

*dicatione meritorum æterna memoria colatur. Nos enim illis conditionibus honestauit, quibus ciues ipsius Florentinæ Ciuitatis nascuntur. atq; inter cætera municipia, quæ Episcopatus dignitate carent, honestißimo loco Lucimanũ esse voluit. Quid hic narrẽ, quã læto vultu illud Oppidum inuiserit? quamq; benigna oratione sit homines allocutus? Nũquam planè municipes meos diem lætiorem vidisse, neq; visuros esse puto. Nunc tutißimo sumus ocio fruituri, non cum finitimis post hac armis disceptabimus. Etenim iustitia omnes intra fines suos continebit, atq; causas contentionum remouebit. Nunc ex laboribus quisq; suis meritos fru tus percipiet. Nullus furibus, nullus improborum iniurijs locus est futurus; quodq; caput est, impunitate scelerum sublata cædibus finis est impositus. Quid multa? Saturni mehercule rediJsse mihi secula videntur. vtinam mihi tanta daretur orationi bus copia, vt præsentis temporis merita, et spem futurorum assequi dicendo, et exæquare possem. Nũc autem vno verbo, vt potero complectar omnia. Princeps noster felicißimus omnes senenses cum omni ditione in suam fidem videtur accepisse, vt sua humanitate dolores omniũ recreet. atq; illud esse verum quisq; certa esperientia poßit intelligere, omnia in Regibus esse omnibus comunia, quò circa si benigni sunt, non ad paucos ea benignitas, verum ad omnes omnino pertinet. At si quæ de vna virtute dici possunt, persequamur omnia, nullus erit orationis finis. Nos autem non hoc opus consumandum nobis suscepimus, neq; enim viribus nostris id æquũ esset onus. At si iustitia expetit alias virtutes, sociam habeat animi affectionem illam necesse est, quæ in rebus arduis, & formidolosis stabile. iudi-*

*cium conseruat. An cum ipse non dum tam altis radicibus niteretur, aduerso fortunæ flatu, & hostili tempestate loco dimoueri potuit? num paucis abhinc annis potentissimi hostis arma reformidauit? non ne molientibus contrà se bellũ, præter eorum spem sese obtulit armatum? num sumptibus vllis pepercit? Num qua in re vllum belli officium prætermisit? àt si hæc non sunt, quæ nam sunt obsecro viri fortis officia? Age verò examinentur omnes actiones, num quæ timidi animi facta est significatio? omnia constanter, & erecto animo ab eo gesta constabunt. Nam quod in militiã non est profectus, nõ continuò sequitur eum demisso esse animo: verum summæ prudentiæ testimonium Primum enim bella, quæ gerebantur suis aspicijs eius præsentia non egebant. deindè, si, vt Scipio Africanus obiicientibus sibi eum non satis acrem esse inpugna, respondeat non bellatorem se, sed Imperatorem, aut principem esse genitum, huic questioni satis esse factũ videri posset. quid si nec Alexander illi magnus satis est laudatus, quod se se illis periculis obiiciebat, vnde acceptis vuulneribus vix seruari posset? nõ enim debet illius anima, ex qua pendent omnia, in graui discrimine versari. Sapienter igitur Timotheus in obsidione Sami temere se fecisse dicebat, cũ tam prope hoste accessisset vt prope se telum hostile cecidisset contra Callicrates Auguri monenti, vt caueret mortem, quæ illi certa imminebat; non in sua solius morte patriæ saluté esse positam, respondit non enim mors Ducis est vnius mors, sed exercitus sæpe totius, et rerum omnium ruina: Nam quid exstincto Cyro temere cum Artaxerse congresso factum est? non ne illius casus secum traxit omnia? quod si sibi temperasset a*

*pugna, rerum omniũ potitus esset, vt prudentia nostri principis factum est, qui re sua incolumi hostilem euertit, suoq; imperio subegit. Sunt praeterea plures iustae causae cur à principe domi melius, quam belli saepe res geratur, quas, si velit, vnusq; poterit cognoscere: sed illud est omnino constituendum, si togatus possis rebus tuis optime consulere, temerariũ esse se se praecipitis fortunae casibus committere. nam fortitudo sine prudentia temeritas, & audacia definiẽda est. Quoties autem principis prudentia res bellicas viro forti, et spectatae fidei, artisq; illius prudentissimo commisit, is ciuitatis gubernacula non debet omittere. at quis indisciplina militari cum Ioan. Iacobo Mediceo conferri potest? quis consilio aut virtute comparandus? àn illo duce verendum fuit, nequid offenderetur? qui tot exercituũ fuisset Imperator, qui toties cum hoste conflixisset et feliciter tot bella confecisset? quis praeterea nostri principis amãtior? quis maiore cura, aut integriore fide de illius salute cogitasset? vbi igitur hic esset, non necesse erat principem nostrum adesse. Verũ si res ita tulisset, cur, si Romulus, quod Martis esse filius putaretur, iure videbatur acer, & fortis in pugna, nõ etiam Cosmus dignum se vero Marte genitore suo praebuisset? vidimus nos quidem certè non legimus fictiones poetarum, vidimus inquà decus militiae Ioannem Mediceum, ex quo scimus Cosmum esse natum, nullam vnquã impressionem fecisse, quam hostis vllus sustinere posset. Cuius scientia rei militaris, & inuictus animus in omnibus historiis admirationem posteris est allaturus. Quo circa si res nulla cogit exire, sapienter princeps aliorum ductu bellicas res gerit, cum praesertim illius togata virtus nullis Impe-*

ratoribus armatis cedat. Verum hæc est fortitudinis pars quædam militaris, digna quidem illa sua laude, sed in ea nō sunt omnia, Nam virtus integra, & absoluta ea est, quæ prò temporis conditione præclarè se gerit, cuiusmodi in nostro principe licet omnibus intueri: neq; verò magnitudo animi eius vno laudis genere contenta est. Nam et boni etiam viri, & prudentis, et continentis gloriam complectitur. quis enim vnquàm repertus est, cui quicquid vellet, liceret, nec tamen quicquàm vellet, quod non liceret? quis tam linceus vnquàm fuit, quis tam diligens alienæ vitæ obseruator, qui factum quicquàm à nostro principe deprehenderit, quod aut per naturam fas non esset, aut per leges non liceret? nulla est inuidiæ omnino labes, quæ continentiæ, moribus vè Cosmi Medicis vllam maculam ausa sit aspergere. Cum ea sit cuiusq; principis fortuna, vt in tanta luce de moribus suis nulla cautione, nulla diligentia possit omnium in se conuersos oculos celare: nec tamen ad huc vllus est repertus, qui Cosmum neget integerrimum esse virum. Nec mirum: constat enim nihil ei tàm esse propositum, quàm nihil in vita magis expetere, quàm laudem. nàm illud nimis Stoicè iactari mihi videtur gloriæ causa nihil agendum esse. in omnibus enim alijs rebus probandam esse duco mediocritatem, quod autem attinet ad gloriam, ita faciendum, vt ea sine vlla satietate semper augeatur. bonorum enim externorū nullum esse maius doctissimi viri tradiderunt. Quid est igitur cur quisquàm præmium tàm amplum negligat? Quis est animo tam agresti, vt immortalitatis spe non moueatur? at ipsa spontè sua gloria non quæsita consequitur honestas actiones, & officia præclara. consequitur illa quidem sed

tamen

*tamen nisi accendantur animi spe memoriæ sempiternæ, languidiores sunt ad illa studia, quæ comitem gloriam solent habere. Utinam igitur veræ, solidæq; gloriæ stimulis excitentur viri magni: ad honestatem enim, & innocentiam excitabuntur, & ad res illas, quæ cōmunem vtilitatem spectant. Quæ faciunt, vt mirandum non sit, si laus nostri Ducis nullis iam finibus continetur, nulliusq; Principis tanta sit maiestas, apud quem nostri existimatio maxima non sit. Cum verò nihil interris nèc vtilius, nèc pulchrius sit ordine, quid iàm accomodatum, aut tàm formosum, quàm Cosmi domus vniuersa? quinimò in tanta machina imperij quid nam videmus à recta ratione discrepare? in victu verò, et cultu ita sibi, domuiq; suæ moderatur, vt longè absit à luxuria, & omnia grauissimo splendore luceant. Intelligit enim amplitudinem Regni non luxu, aut profusione quadam, verum dignitate, et decoro contineri. Itaq; nemo illi continentiæ modestiæq; nomen potest adimere. Videt enim boni esse principis, & sapientis intelligere, nèc vnquā obliuisci, etiam si diuinos honores sit adeptus, hominem se tamen esse, & hominum curam suscepisse plurimorum, pulcherrimamq; nactum occasionem æternæ continentiæ monumenta relinquēdi. Quamquàm ea virtus, quæ temperat motus animi, & cupiditates, in omnibus commendari debet, tamen in principe longè splendidior existit, qui non vt alij metu supplicij sed tantum virtutis amore peccare timet. Unde tali viro, non modò nos qui sumus ei commissi, sed hoc sæculum ornari se gaudere debet. Quæ nam igitur vota nobis facienda non sūt, vt tanta sapientia, tanta vis iustitiæ, tanta magnitudo*

animi, tantumq́ decorum continentiæ ad vltimam senectutem perducatur? Nam sunt hæc quidem singula per se admiratione digna sed optabile videbatur anteà, vt omnia concurrerent. Uerum in nostro Principe Cosmo non hæc modò simul omnia collucet, sed alia quoq́ tam multa, vt nullo vnquam tempore scriptoribus sint argumenta defutura. Quare mihi non est tanta cum rerum copia, quãta est contentio cum ijs, qui antea simili studio conati sunt eloquentiæ suæ ontesu aperire, & qui posteà vires ingenij sui in hoc periclitari volent. Quare si mihi non plus voluntatis esset, quam facultatis, non in hoc certamen descendissem, A quo etiàm nunc pedem referre, si me non idem impetus animi potius quam ratio cõcitaret. At quo nam pacto queam miram hominis religionem, aut pium cultũ, sanctumq́ timorem Dei præterire? multa iam diximus, nec tamen satis multà de sanctitate morum illius; verum, dicendum est etiàmquam sit acer catholicæ fidei propugnator: cui nec opibus, nec viribus, vnquam defuit. Quã verò sit ipse religiosus, declarant illius ciuitatis augustissima fana: in quibus quidem omnibus quotidie conficiuntur sacra. plerunq́ enim euenire solet, vt vniuersæ ciuitatis partes similitudinem sui principis arripiant: qui nam igitur fieri putemus, vt tam beuè instituta ciuitas à religione sui principis àberret? Equidem affirmare ausim nullam esse aliam ciuitatem, quæ cum religione Florentina, & diuini cultus obseruantia conferri possit. Uerùm animi Cosmi magnitudo non contenta eorum obseruatione, quæ ritibus christianis anteà consecrata fuerant, more maximorum christianæ religionis regum nouum equi-

tum nobilissimorum ordinẽ diuo Stephano dicauit. Quos militiæ sacramento sic obligat, vt cum hostibus christianæ pietatis pugnent. quod quidem vt opportune faciant, classem validam, instructam, & ornatam semper habet: quæ quidẽ, si res christiana ipsius præsidium requirit, nullo unquam loco deest hoc antiquissimus ordo fratrum, qui Ioanni Baptistæ præcursori Iesù Christi sunt initati, sibi paratum esse videt; hoc Reges contra communes christianorum hostes suis opibus adiungunt. O magnanimũ Heroem οὐκ ἄτερ ἀρετῆς ὄλβος Quæ nam est excellentia virtutis, cuius splendor in te non clarissime niteat? & mirabitur quisquam si Deus bonorum omnium auctor sapientiæ laudem, & amplissimas opes tibi largitur, cum præsertim sis omnium gratissimus? Ea certe est maxima felicitas, quæ cum amplissima fortuna parem gloriam consecuta est. Quid enim beatius euenire tibi potest, quam vt possis, & uelis alios efficere beatos? nam illud est in primis, quod animi tui magnitudinem testatur, quod nihil agis libentius, quã ut de bonis uiris quã optimè merearis: nec ullũ tibi fructũ ex amplitudine tuo vberiorẽ capere videaris, quã ut tuis beneficijs eximias uirtutes aliorũ exornes. Non hic ego faciã, ut dè publica omniũ opinione; cui tamen assentior, aliquid dicam. Prædicent hoc alij quanta sit apud sãctissimum Collegium Cardinalium tua gratia; id mihi satis sit dicere Angelum Nicolinum uirum egregium, & summa sapientia præditum per te summa cum laude in augustissimum Cardinalium collegium cooptatum. in quo non modo laudem liberalis, sed etiam

*grati animi es adeptus. Mitto hic laudes illius excellentis simi viri, quoniam carminibus sum illas aliqua ex parte persecutus. Verum discant alij certissimam spem sibi propositam, qui diligẽtem operam, atq; fidelem tibi nauarint. Quid enim magno principe dignius dici potest, quã summis commodis, & supremis honoribus eos afficere, qui cũ fide, & diligentia rem sui imperij rectè gesserint? hortarer ego te, Dux Illustrißime, vt quemadmodum instituisti, alliceres semper bonos viros: sed non tantum mihi sumò, vt consilium dem sapientiæ tuæ, de ea præsertim re, ad quam te natum esse video. Testis est mihi Sallustius Mandoli Picolhomineus lectißimus Iuuenis, multisq; virtutibus ornatus, quem tuum legatum apud Illustrißimũ Ferrariæ Ducem esse voluisti. hunc feliciter expleto eo munere, & perspecta eius præstantia virtutis dum amplioribus gradibus, ac muneribus ornare cupis: Ecce tibi mors omnia consilia tua, & spes nostras violenter fregit. Testis est etiam clarißimus iuris peritus Aurelius Manius cuius prudentiæ omnia iura fisic commisisti Præterea Magnificus, & omni veneratione dignus Abbas Ioan. Maria Petruccius; quẽ ad munus legationis apud Maiestatem Regis Gallornm delegisti. Mitto alia clarissima lumina, quæ, dum alia ad alias imperij tui partes agendas adhibes illustriora reddis, & summis beneficijs honestas: illud tamen non vereor monere nihil ad amãdũ se magis animos hominũ allicere, quã benignitatẽ; nec animos poetarum magis excitare ad preconia laudum suarũ sine quibus clarißimorum hominum præclarißimæ res intereunt, atq; omnes honestißimorum laborum fructus*

*obruuntur. verum tu ex tuis beneficijs lætos, vberesq́ capies, nec vllam Musa magnificentiæ tuæ partem mori patietur: quæ quidem latißime patet. Quis enim ausus esset olim sperare istam vrbem ædificiorum magnificentia, aut cuiusuis generis ornamenti fieri posse pulchriorem? nunc autem animi tui liberalitas, & amplitudo illi tantã attulit acceßionem, vt præ specie præsenti, antiqua fuisse rudis existimetur. Quid industrias, artesq́ nouas commemorem? quas ad patriam magis àc magis nobilitandam ex longinquis, vltimisq́ terris aduocas? sunt hæc quidem sua sponte diuturna, verùm immortalitas Hymnorum illa quoq́ reddit immortalia. O vtinam me Deus diuino Spiritu sic afflaret, vt dignum tuis laudibus mihi sonum fundere liceret. nemo certè magis hanc àb ste gratiam iniret. At nunc redeo ad illos fructus, quos te tanta excelletia virtutum eo suauiores, vberioresq́ percipimus, quod spes nobis certa proposita est futuri temporis, quo nostri filij diuturniore felicitate sunt vsuri. Namq́ nobis nõ tam imperij, quam excellentiæ virtutum tuarum hæredes es relicturus. Hanc enim preter alias felicitates summam princeps noster accepit, quod vxorem eam sortitus est, quæ pietatis laudibus cum Portia, et Arthemisia certaret, aut etiam vinceret omnes illas, quarum insignis amor coniugalis doctorum hominum scriptis commendatus est. In qua nihil desiderari poßit, quod à præstantißima fæmina sit expectandum; verum tamen illud munus accepit à natura maximũ, vt felicißima fæcunditate vtriusq́ generis numerosam, pulcherrimamq́ sobolem Cosmo castißimo viro pareret. Ad cuius educationem vterq́ pa-*

*rens summam adhibuit diligentiam, ne dignitate corporis, & amplitudine fortunæ virtus animi esset indigna. itaq; prima cura fuit, ne diuinitas naturæ incontinentia vitiaretur. quare in his studijs filios occupari voluerunt, quibus turpes appetitus à mentis aditu facile prohibentur. Sic igitur à teneris assiduitate rebus illis assuescunt, quæ maximè repugnent illis affectibus, quibus homines à recta ratione vitæ retrahuntur. adsunt semper illis doctissimi, optimiq; viri, qui & doctrina, & moribus, & inprimis exemplo, sic eos informant, vt omnis in illis virtutis spes, indolesq; præclara luceat. Quamquam nulla quidē certe melior potest institutio reperiri, quàm præclarissimi patris imitatio. Habent enim illi verè domi fontem, vnde discant, atq; vnde hauriant illam disciplinam, quæ quidē eis expeditissimos gradus ad eximios honores faciat. Itaq; Dux noster Illustrissimus nō solū quæ ipse potest præsens commoda suis populis præstat, verum similem sibi ad multos annos stirpem propagauit. Mitto Filias, quas cum maximis principibus coniungit; mares verò in altissimis gradibns siue humanæ, siue diuinæ dignitatis collocat. At hic ego mihi videor audire multos grauiter exclamare, & acerbitatem fortunæ vehementer accusare: quod nimis atroci offensione principis nostri felicitatem perturbarit. Nunc me nō fugit quibus verbis casus acerbissimi tot taliumq; liberorum, tum coniugis tam caræ tā ex animi sententia lugendi forent. Tamen nec mihi vulnera tam grauia refricanda sunt, & magnitudinem animi summi principis decet imitari. Is enim quantam plagam accepit ex interitu Excellentissime filiæ, quam Illu-*

*strissimo Ferrariæ Duci desponderat? num tam caræ filiæ amissio à sua illum constantia potuit deducere? Quid de Ioãne Cardinali loquar? quid de Garzia? quo vel oris decore, vel ætatis flore, qua virtutis indole, qua spe vel animi, vel ingenii præditi, vno ferè tempore sublati fuere; nũ tamen ingemuit Pater? num de publicis, maximisq; curis quicq; remisit at nõ dũ satis tàm multiplici clade virtus Illustrissimi Principis tẽtata fuerat, quandò mors quasi portũ, & requie curarũ omnium coniugẽ eidem abstulit. Ergo tot funera liberorũ, & coniugis eodèm ferè tẽpore potuit efferre, et restitit dolori? & sunt qui sapientiũ Philosophorũ mihi predicent quod acceptis nuntiis de vnius morte filii scire se mortalẽ genuisse respõderint? Num hic ignorare videtur, quà sumus conditione nati? verum non auderet, quæ sunt opera naturæ, in malis numerare. Sed multò magis ab ipsius pietate fuisset alienum, si quod ipsi deo placuisset, ausus esset improbare: Nec tamen in mentem mihi venire potest suspicari hominem, qui tanta sit in suos indulgentia, quanta fortasse nullus alius in tanta malorum mole sensum omnem humanitatis amisisse. At qui minus aperte dolorem tulit, quia maior vis rationis, quàm doloris in eo fuit. Nouit enim vir prudẽs, quod corrigi non possit, leuius fieri patientia. Sed est alia quoq; ratio, & ea fortasse grauior, quæ tantum dolorem potuit exhaurire: quod nulla magna prosperitas sine aliqua offensione potest esse diuturna. Testatus est hoc Amasis Ægiptiorum rex de Polycrate samio Tyranno: quẽ, cũ diutissime suis fortunis fortunam ipsam superasset, in graue aliquod exitium casurum iudicauit. Itaq; tandem in*

crucem actus ab Oronte miserrimum, atq; adeò turpissimum felicitati suæ finem imposuit. vnde si res; quæ satis diu prospero fortunæ flatu sunt vsæ, aliquo reflante vento retardantur, lætiorem, atq; tutiorem posteà suum cursũ tenere solent, non absurdè maximi poetæ finxerũt in aula Iouis esse duo illa dolia, quorum alterum boni, alterum mali plenum esset. Miscere enim Deus videtur cum dulci semper aliquid amari. vnde cum Paulus Æmilius duos filios vnum Paulo antè triumphum de Persa, alterum paulo post amisisset, lætatus est, quod, si quid aduersi in tanta finium imperii propagatione Reip. foret euenturum, id sibi euenisset, & quod suis priuatis incommodis reip. incommoda redemisset. Nec in deteriorem partem Cosmus suos casus, quàm Paulus accepit. Verum cum intuetur ornamenta liberorum, quos vtriusq; sexus incolumes illi Deus cõseruauit, maximas illi gratias agit, quod prolem sibi dederit tàm numerosam, & animi, & corporis, eximiis virtutibus ornatam, vt vna parte adempta velut altera Tyndaridum occidente luce superstitis lumen idem appareat, & eodem splendore, regiam domũ illustret. Itaq; & illustres eius affinitates iam dudum vigent, & summi sacerdotii lucent insignia, et spes optima, æternæ posteritatis ostenditur. Quod autem vnum deesse videbatur ad explendam, cumulandamq; laudem eius, id quoq; feliciter accessit, vt Franciscum filium suũ, Principemq; nostrum affinitate felicitatis, maiestatisq; plena cohonestaret. Nũm potuit altius ascendere? nũm propius ad deos accedere? quid illustrius in terris, quid potentius Austriæ familia tot Imperatoribus, tot Regibus illustrata,

*ta, tot Regnis munita, tot triumphorum splendore clara? Ex hac quidem Familia Franciscus princeps noster duxit vxorem filiam Ferdinandi Imperatoris inuictissimi: quae tres fratres germanos Maximilianum primum Bohemie, Pannoniaeq; Regem, & Romanorum Imperatorem potentissimũ; tum serenissimos Ferdinandum, & Carolũ Archiduces Austriae, comitesq; Tiroli, deinde Caroli. Q. patrui cuius laus est laudi antiquorũ omnium aequata filium Philippum patruelemq; suum tot Regnorum felicissimum Principem attulit affines. Quot alios praeterea, & quàm magnos per sorores illustrissimas affinitate principes adiunxit? At qui, vt ad te me tandẽ Princeps inclite conuertam, dicet aliquis, maximis quoq; alijs Principibus idem contigit: est ita sanè verum auctoritas illa, quae in te summa est ad tantam amplitudinem peruenit, vt cum dignitate omnium antiquissimorũ principatuum sit aequata. Te igitur vnum domus illa tot Imperatorum, tot regum faecũdissima spectauit, tu solus instar longi ordinis stemmatum gentilium fuisti. Quamquam si põtifices maximos, si maiores tuos principes cõsilij Reyp. si genitorem deniq; Martis gloriam spectemus, nihil ad splendorem generis tui accedere pcsse statuemus. Tam & si praestantia virtutis tuae, & mira sapientia sic extulit nomen tuum, vt iam sis nemini secundus. O quae te manent gaudia nepotũ, quae sunt per te populis ocia parata. gaude igitur fortuna, & virtute tua, quae Franciscum filium tuum cum tot principibus, cum tot Regibus, cum tot Imperatoribus affinitate coniunxit. In quo tantum ingenij esse videas, tantum consilii, tantum pudoris, vt non so-*

*lum in eos referri debeat, quos similes patri paucos Homerus esse dixit, sed in eos qui probe magna ex parte imperii munia sustentare possint, Quid hic ego magis admiror? charitatem ne tuam, an sapientiam? multum hic ualuisse puto amoris paterni sensum. Nulla enim in re magis animum paternum praestare illi potuisses, quam quod uiuus, & adhuc uigens aetate Imperii tui socium illum tibi asciueris, quae quidem pietas, in talem filium magnam tibi laudem comparauit. tanta est enim in eo maturitas consilii, tanta uis pudoris, & modestiae, tàm deniq; similis est tibi; ut nulla festinatione potuerit legitimum tempus praeuenire. Non igitur solum affectus animi te uicit, sed etiam grauitas consilii suasit, ut uno facto; & filio & tibi, & populis tuis optimè consuleres. Filio; quia siquid adhuc illi desit sic disciplina tua instituis adolescentem, ut ne posteà rudis capiens habenas imperii, aut errore suo, aut alieno uitio infraudem aliquam incurrat. Tibi quia tuas ille partes suscipiens magnam tibi partem oneris leuabit: quo parcere labori, & optatae quieti aliquando consulere tibi concedatur: populis, quia nisi declinabit à tuis uestigiis, si in tuo curriculo sese exercebit, si tuam institutionem persequetur, summum habebimus otium, & perpetuam quietem. Qua quidem spè certa tenentur omnes, & tuam sapientiam admirantur qui Caroli. Q. Imperatoris faelicissimi factum es imitatus, cuius quidem facta, & dicta omnia sunt aeterna memoria colenda. Sed nihil in se tantam admirationem habet, quantam quod Imperiis, & Regnis, inquos debuere, translatis, in eam se quietem rece-*

*pie, quæ rectißimam illi uiam ad uitam æternam cõmunivit, atq; sine ullo rerum motu ex terrenis eum laqueis expediuit. cuius quidem sapientiam cum etiam nunc, ut persæpe alias, imiteris, extremum uitæ tuæ actum magna sunt omnes cum admiratione spectaturi.*

# AD REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM. S. R. E. CARDINALEM ANGELVM NICOLINVM.

## IACOBI GRIFOLI LVCINIAnensis Epistola.

MAXIME *subsidio prostratis* ANGELE *rebus*
*Nostris, quem pietas diui sanctissima* COSMI
*Misit, vt hãc miseram recreares protinus vrbẽ,*
*Quod tua sancta fides studio iam præstitit omni*
*Stemmate quiq; nouo, & grato fulgore coruscas:*
*Qua nam uoce tibi dignas persoluere grates,*
*Quo potero populi testari gaudia plectro?*
*Quodq; tuis meritis dignum contexere carmen?*
*Magnum opus, & nostris nequaquam uiribus æquum.*
*Quo circa adductis satis est mihi currere habenis,*
*De magno & solum partem decerpere aceruo.*
*Nam quis Athlas totam se speret tollere molem?*
*Res igitur patriæ insignes, & clara uirorum*
*Facta sono taceo multo grauiore canenda.*
*Vna etenim Medice domus, & generosa propago*
*Postulat Iliadem, plectrumq; insignis Homeri.*
*Huius in historia, & dulci monumenta poesi*
*Clara uigent, semperq; uigebunt læta per orbem.*
*Atqui magnanimus maiore in lumine* COSMVS
*Seq; suamq; domum illustrem, patriamq; locauit:*

Multa quidem lucent eius spectacula in urbe
Admiranda viri, vita, & sapientia cuius
Vix habitura fidem prabent miracula nobis.
Ille colit pacem, nec iusti clasfica Martis
Horret, vt est animo praestans ad vtrunq; parato.
Unde sui fines regni, viresq; propagat,
Partaq; conseruat tranquilla per otia latus;
Institiaq; regit populos, vitaeq; modestae
Corrigit exemplo, quae lex est optima regum.
Huius dum sequeris vestigia sancta magistri
Virtutisq; tuae profers amplissime vires
Crescit honos nitidumq; tuum caput alius effers
ANGELE sydoniis quod nunc insignibus ornas.
Verus honor vera paritur virtute, nec vnquam
Interit, aeterna quoniam est ab origine cretus.
Non igitur quisquam dubitet, quin semper honores
Illi praeniteant, tua quos clarissima virtus
Accipit, aut ii plus capiant splendoris ab illa.
Ille mihi demum vir maximus esse videtur,
Cuius luce gradus magis illustrantur honoris.
Splendida res est lux vltro, citroq; recurrens
Ut commixta magis; duplicataq; luceat vna
Magna cooptato in tantum, diuumq; senatum
Facta tibi, pater, est accessio, nec minus illi
Consilii, ingenisq; tui praestantia reddit.
Sic meritos tibi, sic veros gratamur honores,
Principis ingenium naturae cognita primum
Opportuna tuae ad claros adhibenda labores
Duxit, & inde tibi nullum permisit inane

*Tempus, at addixit permagnis rebus agendis.*
*Cætera nunc mitto, paucis non omnia possum*
*Complecti, neq; Senensis contenta quiescit*
*Res paucis, opus hoc igitur nos occupat vnum.*
*Tempore quo primum ex longis, grauibusq; procellis*
*Hanc nostri sidus seruauit Castoris vrbem,*
*Urbem non alio seruandam sidere, & illo*
*Si careat, nullo quæ sit caritura tumultu.*
*Ipse gubernator ratis huius idoneus esse*
*Uisus es illi, quem neq; spes sua vana fefellit:*
*Nanq; regit populos rectè quicunq; furores*
*Ipse suos regit, & vitiis non mancipat vllis*
*Naturæq; parens est, & seruator honesti.*
*Hæc nunquam fallit ratio, fortuna necullum*
*Nacta locum vitam placidam temeraria miscet.*
*Quæ res ipsa tuis est testatissima rebus.*
*Non odijs vrbem, non seditionibus vllam*
*Ardentem magis accepit quisquam, nec habenas*
*Quæ minus audiret, nutrita licenter in omni*
*Uita, in qua tantum esset lex sua cuiq; voluntas*
*Hic diuina suas effert sapientia vires.*
*Nanq; vir experiens naturas protinus omnes*
*Inspiciens, ita prudenti moderatus es arte,*
*Ut concors animus videatur, & vna voluntas*
*Cunctorum, vt veteris si sint vestigia fraudis,*
*In tanta iaceant nunc consopita quiete.*
*Hoc facit examen rectum, hoc ius efficit æquum*
*Cuiq; suum tribuens, & iusta lance rependens*
*Qui nam tam praui mores, quæ tanta libido,*

Quam non compeſcant ſancti modo frena pudoris?
Aut incorrupti reprimat ſententia iuris?
Nulla etenim eſt grauior lex integritate miniſtri.
Hac virtute potes, Rector ſanctiſsime, nullam,
Qua magis audaces horreſcant figere legem
An quos tute tibi fines praeſcribis honeſti,
Quos intra natus iuuenis ſpes vnica patris,
Et veneranda domus mire ſe continet omnis.
Hos impune putet tandem contemnere quiſquam?
Nec velit exemplo fieri moderatior iſto?
Priſtina cui potior nunc eſſe licentia lege
Poſſet, quae vita vitioſas corrigit artes?
Nulla tuam prorſus grauitatem gratia flectit,
Nec partes alia potuiſſes arte tueri,
Quas tibi iam dominus mandauit noſter agendas.
Cum vero tu ſponte tua ſis lenior, ipſum
Officium dulci permiſces arte ſeuerum.
Vt tua quos contra ſtatuas, ſententia amicos
Dimittat, placideq́ duo pugnātia iungat.
Non cui vis homini clauum committere tutum eſt
Fluctibus in mediis nauim iactantibus auſtris :
Fortis enim doctiq́ regenda eſt arte magiſtri.
Diſcere quiſquis amat diuinae gaudia famae
Spectet quae per te ſaeuis erepta procellis
Nunc tuto manet in portu, fruiturq́ quiete.
Furta latrocinia hinc abſunt, cedeſq́ repulsae.
Quae dat seditio mater ſaeuiſsima partu.
Quam facilem accepit noſtra haec prouincia formam?
Quam faciles tuus accipiet ſucceſſor habenas?

*Non vigiles illi curæ, duriq; labores*
*Impendent, tua quos industria mira leuauit.*
*Non hominis vulgaris opus, sed quem pater ipse*
*Diuum pene suum cælo demisit alumnum.*
*Nunc his compositis sacras reuocaris ad arces,*
*Ut quas rebus opes nostris tua maxima virtus*
*Attulit, ijs quasi cymba petri demersa resurgat.*
*Ad summam ingenio nihil est præstantius vsquam:*
*Cætera deficiunt, sensimq; teruntur ab vsu,*
*Uiuidus est animus viresq; acquirit agendo,*
*Qui non corporea, & crassa caligine hebescat.*
*Unde tuus per magna negotia crescit, vt omnes*
*Iamdudum impleuit vigilante lumine terras.*
*Parca quidem natura virum non perficit vllum,*
*Inchoat, inde bonis studijs commendat alendum.*
*Uerum alios alijs informat rebus amicos*
*Permultisq; adeo virtutis semina dura*
*Inserit, vt cultus nequaquam molliat vllus.*
*Hi metuunt longos studiorum ferre labores,*
*Hos premit inuitos, angustaq; calcat humi res*
*Uel bona naturam raro fortuna benignam*
*Adiuuat, aut frustra, nisi mens vtatur vtraq;.*
*Quid votis maius, quam conspiratio talis,*
*Optandum est nobis: nisi si nos forte poetas*
*Hesiodo similes fieri speremus in Ascra,*
*At ne quem fallant moneo mendacia vatum,*
*Aonides studium, labor est, Aganippidos vnda.*
*Sed quod in aereo posuere cacumine montis*
*Uirtutem, ad quam nos ducat via plena laboris*

*Uera*

*Vera quidem res est, nec semper vana poesis.*
*At tribus his socijs tantum, quos diximus ante,*
*Ardua quisq; potest tandem superare viarum.*
*Ut tua strenuitas, quæ te virtutis honore*
*Ditauit, nostri fieres vt gloria sæcli,*
*Es tamen in cursu, neq; rerum hæc meta tuarum est.*
*Ad summum venies, tibi sum certissimus augur*
*Spiritus hæc vtinam sustent languida membra,*
*Donec ego obtineam comunia gaudia, quando*
*Ipse pedum Christi capiens reuocabis abactas*
*Pastor oues, vnoq; omnes resouebis ouili.*
*Quanuis ille pater cui parent omnia soli,*
*Omnia præsenti qui lumine tempora cernit*
*Quæ modo contractis, modo laxis flectit habenis,*
*Consilium voluit nullum penetrabile nobis*
*Esse suum, dubijs monstris tamen indicat ipse*
*Quod facit interdum, vt sit coniectura futuri*
*Prima tamen cæcis cum sunt obscura latebris*
*Altera si primis, si tertia deinde secundis*
*Conueniant facile apparent vestigia veri*
*Non me Tiresias, Amitaoniusue Melampus,*
*Non auium gestus, pecudum non exta docebunt,*
*Delphica, nec pectus nostrum cortina mouebit.*
*Sed rerum natura potens, & numina diuum*
*Qui tibi plusquam hominem testantia munera mentis*
*Cum dederint, regnisq; satis videare profanis*
*Iam fecisse diu, pietatis munera poscunt.*
*Unde toro credis pridem caruisse iugali?*
*Nec repetisse nouis vnquam connubia tedis*

*Quod regit immensi domini te gratia* CHRISTI
*Qui sua regna tibi commendaturus ab omni*
*Causa te remouet, quæ sit contraria tantis*
*Rebus, vt ex iusta fulgenti murice discis.*
*Magna quidem sunt hæc, verum haud fortasse minora*
*Signa tui se se ostendunt surgentia nati:*
*Qui forma, atq; animo excellens, studiosus honoris*
*Cultus doctrina, iucundus moribus, atq;*
*Ingenio præstans permagnis vsibus apto,*
*Magnanimus titulis minime contentus auitis,*
*Tum penitus partes se se diffundent in omnes*
*Cum tua tergemino lucebunt tempora regno.*
*Tempora tum current tantis virtutibus apta, &*
*Gloria calcari iuuenem stimulabit acuto.*
*Felices ambo, dijs & felicibus ambo*
*Chari quos laudum sociali fædere iungunt.*
*Si felix proprio quisquam se lumine famæ*
*Tradidit æternæ gemino qui sidere semper*
*Admirandus erit, quo tandem nomine dignu*
*Tales Emilij duo, Scipiadesq; fuerunt.*
*Namq; eadem natorum lux, eademq; parentum.*
*Emicuit, pulcroq; pares certamine vtriq;*
*Gaude prose tua pater, & genitore vicissim*
*Tu quoq; tantundem gaude. gaudemus & ipsi*
*Vestrorum memores meritorum: at gaudia nostra*
*Vt fatear, nullo non sunt perfusa dolore.*
*Non ne tuo doleat studio caritura fideli*
*Vrbs caruit magno quæ te moderante dolore?*
*Cuius tu clemens, rectorq; paterq; vocaris?*

*Urbs pergrata quidem est, modo sit quo gratia tantis*
*Digna queat reddi meritis. Sed gratia diuum*
*Larga fluit iustis nullum interitura per æuum.*
*En modo conspicuo sacer es iam factus honore,*
*En quasi mortales diuinior exuis artus.*
*Salue sancte parens, nostram tueare salutem;*
*Perpetua vt serues operum monumenta tuorum.*

# AD REVERENDISSIMVM, ET Illustrisſimum S. R. E. Cardinalē Angelum Nicolinum. Iacobi Grifoli Lucinianenſis. Ode.

*ANtiqua natum, & docta volumina*
*Fortes lacertos ingenio impares,*
*Currusq; frenis obſequentes*
*Laudibus ad ſuperos ferebant*
*Atqui parem ſi pindaricis modis*
*Noſtro ferirem pollice Barbiton,*
*Pulchre domi, belliq; malim*
*Facta mei numeri ſonarent.*
*Quid comparatæ viribus ingeni*
*Vires valebunt Pancratij grauis?*
*Aut terra quos hoſtes tremendos*
*Dijs tulit anguipedum gigantum?*
*Nam ſinguli vix robore ſingulis*
*Ingente proſunt cætera inutiles.*
*At virtus excellens bonorum*
*Imperium, populosq; ſeruat.*
*Arni fluenti filia nobilis*
*Antiqua nobis plurima ſuggerit*
*Exempla ciuilis coronæ,*
*Ob patriam bene ſæpe geſtam*
*Atqui Priorum nulla neceſsitas*
*Sint clara quantum vis, tamen hæc noua*
*Mentes micanti luce noſtras*
*Splendidius capiunt ſtupentes.*

*Maiore motu non quia cernimus*
*Oblata nobis forte recentia.*
*Vestra at quod vrbi ante est negatum*
*Cernere, quod modo nos videmus.*
*Vester recuruos longius an pedes*
*Extendit vnquam magnanimus leo?*
*Quando iubas fudit per armos*
*Hic generosior, aut acuto*
*Quando rugiuit dente ferocius?*
*Quando aptiori præsidio stetit*
*Munita res communis olim?*
*Tutior aut dubijs periclis?*
*Innixa tanto principe ciuitas*
*Non amplius nunc aut aquilonibus,*
*Aut africis concussa ventis*
*Vertitur in varias figuras*
*Quas nam per artes sidereas domos*
*Est quisquam adeptus? nectare quispiam est*
*Factus beatus?* COSMVS *hisce*
*Ni sedet in numero deorum?*
*Si tale quicquam vel simile huic foret,*
*Te nemo tanto deiiceret gradu.*
*Immensa maiestas sed huius*
*Nobilitare potest secundos.*
*Gaude secundis* ANGELE *honoribus,*
*Vt cæterorum sis tamen optimus.*
*Et glorientur te sequentes.*
*Tu Radamantus eris sacrarum*
*Sententiarum, iustitia integra*

*Te consecrauit, te quoq; curiæ*
*Diuina mens sacræ dicauit*
*Cætera cura dabit deorum,*
*Diuinitatis cum bona particeps*
*Sit virtus & quæ sunt bona corporis,*
*Vitæ breuis sint, & caducæ,*
*Hæc fugiens petis illa prudens.*
*Nam spes in altas mens tua te tulit*
*Virtutis altos* ANGELE *per gradus,*
*Fortuna firmos quos atroci*
*Vertere non poterit tumultu.*
*Non te beatum prospera reddidit*
*Sors, auferet nec, quæ tibi non dedit,*
*Cum pœnitet facti benigni,*
*Præcipitaq; animo proteruo.*
*Iste ergo apex nunc murice qui satur*
*Late refulget non radios suos*
*Unquam exuet, ni se coronam*
*Transferat in nitidam lapillis*
*Vulgare verbum est, quod breue sit bonum*
*Felicitas, nam quæ leuis omine,*
*Falsæq; fortunæ paratur,*
*Nempe cadit facili ruina.*
*Subnixa vero, quæ est adamantinis*
*Virtutis almæ pulchra fauoribus,*
*Ira furentum non mouetur*
*Cedere nescia nam timori est*
*Quisquis lacessit sæuitiam trucis*
*Malus tridontis se fragili trabi*

*Credens, vt infestis orion*
*Imbrifer exagitet procellis,*
*Is te potentem, te dominam vocet*
*Fortuna, fraudes is timeat tuas.*
*Is palleat cælo tonante*
*Qui memor est scelerum suorum.*
*Immunis at qui sceleris est grauis*
*Immunis idem est Luctifici mali;*
*Qui ciuitatum est auctor salutis,*
*Ciuis is astra petens olympi est.*
*At quo sequar te carmine, cum poli*
*Surgas ad ignes? quas tibi phosphorus*
*Exortus ostendit per oras*
*COSMVS honor, columenq́; nostrum.*
*Per vos quies est candida Thuscis:*
*Per vos relucent aurea sæcula*
*Vnum tamen nobis videtur*
*Munus abesse diu petitum,*
*Musarum vt ædem, & tecta frequentior*
*Senis iuuentus lumine nominis*
*Illecta doctorum virorum*
*Concelebret, reflectetq́; ciues*
*Damnate votis nos precor hac enim*
*Vos arte vires versibus addere*
*Nostris potestis. sic canoris*
*Vos melius fidibus canemus*

*FINIS.*

# ERRATA

Carte 9. ver. 21. ſui, ſuis. 11. 15. hinc, [illegible] 13. [illegible] eius, eius. 3. αυн αυнρ. 24. Vtrum. Verum. 14. [illegible] eſſe eſſet. 18 10. cam, cum. 11. taceret, faceret. 19. 27. receenit, recreauit. 21. 16. orronibus, orronis. 22. 18. illi ille. 23. 5. vnusq; vnusquisq; 23 in qua. inq;. 26. 91 onteſu, fontes. 17. ft. ſit. 27. 7. initati initiati. 28 19. fiſic. ſisci. 51 7. quiq; quicq; 9. requie, requiem. 37. 23. tantum diſuumq; ſanctum, diuumq; 42. 23. proſe, prole. 47 22. rectect, recreet 46. 16. præciptaq; præciptatq;.